

DE REB. METALL.

tus, denarius. Opera ex puro argento facta, ut passionis Christi historia, & duodecim Herculis labores, declata sunt ad regem Ferdinandum, è duobus potissimum generibus, argentii rufi plumbi coloris, & argentii rufi rubri translucidi. Talia exteris etiam ostendit è metallis à patre datus Israël Mincelius in Trebocis vir honoratus. Lecticam pedibus argenteis habuit Xerxes Persa, vt scribit Harpocratius: sellam Teribazus Armenius, vt Xenophon. In aula Alberti Cardinalis Moguntini, omnia, quibus mensa instruebatur, vasa ex argento fuere, etiam sportæ & canistra: in aula Soteris Antiochi etiā instrumenta culinaria: in Domitiani imperatoris, quibus onera naturæ exciperet. De Etrusci ciuis Romani thermis, capit in Syluis Statius,

*Argento felix propellitur undæ,
Argentoq; cadit.*

Scuta habuisse argento cclata Iberos